



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Annvs Diervm Memorabilivm Societatis Iesv. Sive  
Commentarius quotidianae virtutis, notabilem vnius, vel  
plurium in Societate vitâ functorum, virtute quapiam  
insignium memoriam in menses diesque ...**

**Nádasi, János**

**Antverpiae, 1665**

V. Die Febrvarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9625**

## V. DIE FEBRVARII.

P. P A V L V S  
V A L L I V S.

Punicalis.  
Febr. 1552.

**H**ic etiam ad deuexam usque  
ætatem Indiae Orientalis impi-  
ger operarius fuit, quem Xau-  
rius *in signi perfectione & virtute virum*  
appellabat. Hunc de Christo ac fide  
pro concione dicentem Bagadæ cir-  
cumfusi post contumelias ac probra  
comprehensum interiorem in plagam,  
adeoque in custodiam abductum, in-  
ediâ diu vexauere, modico orizâ &  
& aquâ illi appositis, quo vitam  
venerisque traheret ad ærumnas. Ita  
squalore ac demum morte istic ab-  
sumptus est.

G R E G O R I V S  
C A B E D U S.

Italus apud  
Fanum Feb.  
s. vel 8. 1557.

**H**Vnc in diem resertur mors Her-  
culis olim, postea mutato pro-  
fano in Societate nomine, Gregorij  
Cabedi, pij admodum, & virtute so-  
lidâ insignitè prædicti adolescentis,  
nuper in Societatem admissi, post-  
quam semel à primâ Christum in So-  
cietate sequendi flagrantia clanguerat  
sed eò flagrantius postea exarserat ad  
nuncium remittendū mundo fallaci-  
ter ubique insidioso. Româ Perusian-  
nam, inde Laurétum, mox Ferrariam  
ad natalem auram yalerudinis curan-  
dæ gratiâ missus, in itinere ad Fanum  
expirauit. Iulius Cabedus eius Pater  
æger Mutinæ diuinis meditandis in-  
tentus, videre sibi visus est suum Gre-  
gorium inexplicabili cù latitia in cæ-  
lum ferri. & eius mors post dies ali-  
quot nunciata, Ferrariae quoque illius

In celum  
ferri visus.

Amita sibi cum videre visa est, quasi  
concionaturum mirâ quadam vultus  
modestissimi maiestate.

Tres Sancti Martyres

PAVLVS, IOANNES,  
ET IACOBVS.

**P**AVLVS MICHÆ Scholaisticus nobili Iapones  
apud Iapanios domonatus, in Se-  
minario Gregoriano literaturâ à no-  
stris excultus, & Scholaisticorum  
classi in Societate adscriptus, con-  
cionandi facundiâ, & felicitate flo-  
ruit magno fructu.

**I**OANNES DE GOTÔ adolescens 19.  
annos natus, & ipse inter Scholaisticos  
referendum; & Iacobus K'say Coadiu-  
tor, erudiendis catechesi rudibus ad-  
æti, atque in Societatem recepti, ac  
Ozacæ breui, vnâ cum Paulo, custo-  
diâ circumscripti, cùm latam in se cru-  
cis sententiam accepissent, læti ex-  
clamauere: *Benedictus sit Dominus no-  
strer I E S V S , qui nos elegit è tot alijs ad  
comoriendum sibi in sancta cruce.* Et Pau-  
lus, *Trigintatres, ait, statis annos natus  
dedisti vitam tuam pro me in mortem, ô  
bone Iesu! Ecce & ego rotidem annos nu-  
mero, dum pro te subeo moriem crucis.*  
Meacum ductis, sinistra auriculæ  
pars abscissa, tam his quâm ijs, qui  
vnâ captiui tenebantur è disciplina  
S. Francisci, ac alijs Christianis, om-  
nium numerus erat 24. quibus duo  
Adiucti postmodum accessere. Ibi  
aliij alijs curribus impositi, præfixa in  
tabulâ sententiâ, quæ dicebat; hos  
crucis damnatos, eò quod, contra  
Iaponum Imperatoris legem, Christi Fides.  
*Antricula  
abscissa.*

I 3 dicariat.

dicarint. Ita per Plateas in custodiam vedi cum illa epigraphie.

*Jacobus Kisay* Christo crucifixo misericordia addictus, & iam 64 annos natus, incredibile est quanta dederit signa letitiae, quod se Christi crucis videaret esse participem. *Paulus Michi* in carcere deside, ac Martyrij gloria ita dixit, ut duo qui cum audiebant Iaponij se Christo nomen dare velle reperirent. Iumentis impositi, & alligati, 27. dierum itinere per summum frigus Nangafachum perducti sunt. Flebat ubertim Pauli veteris amici sortem, tyranni germanus; at mortem pro fide Christi obeundam aiebat Paulus esse sibi vitis omnibus chariorem. De cruce iam sublinis, veniam à Deo precatus omnibus, granter ad suos ciues dixit.

Postea *Ioannes de Soan*, seu *de Gotha* floridus adolescens, praesenti suo Patre, ac martyris filij cruento asperso, Beatissimae Virginis coronam precatam, quâ vius fuerat, donavit, & in crux sublatus est. Post hunc denique *Jacobus Coadiutor*. Tum coorta Christianorum circum in genua abiectorum comploratione, barbarorum admiratione, *Iesvs Maria* conclamatum est, cum martyrum latera configerentur hastis à latere altero per cor ad latus aliud penetrantibus; Iapone hinc alio per sinistrum, inde alio in dextrum latus martyris hastam cum impetu adigente. *Urbanus VIII*. hos vñā cum socijs Sanctorum Martyrum Catalogo ritè adscriptis anno 1627. 10. Iulij. Non desunt qui affirment, primâ post eorum agonem sextâ feriâ per noctem conspectos esse in cælo, ad eam partem quâ pendebant Martyres, tres ingentes radios, ac velut igneas columnas; earum columnarum medianam cum duabus horis fulsisset, supra templum Societatis Iesu constitisse, ac videri desisse; noctem claram lu-

xisse; in eo loco in quem ea columnâ visa fuit subsidere, multas scintillas conspectas stellis consimiles; per longum temporis spatum sexta quavis feria supra campum martyrij multas apparuisse stellas, candelarum instar, quæ ad ritum quendam supplicationum motæ, ad locum, qui Eremus DEIPARÆ dicitur, ferebantur. Alia non lubet his addere, quæ à nonnullis dubiæ fidei esse consentur. Videri potest Bollandus 5. Febr. vbi huius martyrij velut prænuncia repertæ crucis. In Obama vico, anno 1589. Dec. in tara arboris (quam sacram ibi vocant, putantque contra malignos spiritus vim habere) truncu fisco, in utraque parte, crux reperta: *Protasio Regi* dictum per quietem à duobus de cælo venientibus; brevi in eius terris signum Iesu non manufactum detectum iri. In Facunda vico, anno 1592. 7. Febr. in horto, in arboris, securi atque cuneo fissæ, frustis, seu lignis, nigrae crucis aptè formatae conspectæ, geminis singulae brachijs, pede, tituloque insignes. S. *Jacobus Quisay* ne dilecti sui Crucifixi obliuiscetur, totam patientis Iesu historiam secum in libello descriptam gestabat continuò, eamque legebat quotidie: ut de illo refert P. *Ioannes Nierembergius* de adoracione in spiritu lib. 2. cap. 5. vbi etiam de splendore sextâ quavis feria conspecto super locum martyrij.

## V A L E N T I N V S S A N I E R C O A D I U T.

**D**ignus quem vel sanctum illud, quo celebrabatur, otij odium, & se affligendi, ac Orandi studium memoriae omnium, & Coadiutorum imitationi commendet. Verum illud illi si non cum omnibus, certè cum non paucis est commune. Istud singularē;

*Crucis in arboribus.*

*Lectio spiriti.*

*Callus Rothomagi. 5.  
Febr. 608.  
xstat. 4a.*

*Radij cale-  
fer  
Feria 6.*

*Nomen Del.* gulare; quod cum illi paralysis & vi-  
res, & omnem propè sui etiam nomi-  
nis memoriam pessum dedisset; ad  
vnius tamen Dei nomen, ex alto illo  
velut somno, in quo defectus sensibus  
iacebat, experrectum, & si vel modi-  
cum respiraret, de Deo aliquid moliri;  
conatum viderint nostri, non sine  
grata omnibus admiratione. Ad eò  
Dei magis, quam sui memor vixit.

*Morbus.*

## P. G E O R G I V S VONDERAU.

*Pratenus*  
Vilna. f.  
Febr. 1609.  
xstat 50.  
Soc. 30.  
*Mansuetudo*  
B. V.  
*Mors Prae-*  
*dilla.*

**S**eu veteranos seu Nouitios regeret,  
nunquam verbo, nunquam vultu  
iræ umbram villam præsetulit, mira-  
bili semper mansueti animi suavitate  
mitissimus. Die Purificationis Bmæ.  
Virginis è templo redux disertè pro-  
nuncianit se quoque breui cum Si-  
meone dicturum: *Nunc dimittis, Do-  
mine, seruum tuum;* id quod quarto  
post die factum, illo mortalitatí  
crepro.

## P. F R A N C I S C U S DE MONTMORENCI.

*Belga Dua-*  
ci f Febr.  
1640.  
xstat 62.  
Soc. 11.

*Humilitas.**Patientia.*

**R**elicis & familiae titulis; & Ec-  
clesiasticis honoribus; è Præpo-  
sito Casletensi, ac Leodij Magno S.  
Lamberti Decano, trium in Societate  
votorum Professus. Statim ac tyroci-  
nium iniit, pedes omnium tyronum  
est exosculatus. Demissione animi,  
atque constanter adamata in cultu,  
cibo ac omnibus paupertate inter nos  
emicuit: at patientia plane suis ad-  
mirabilis, cum ischias & luxata coxen-  
dix illum per annos ferè 20. cubiculi  
circumscripsum limitibus, nec se, nisi  
fulcrorum adminiculo, inouere va-  
lentem, in solitudine, paupertate, do-

loribus attinuit. Verè ille tunc id age-  
bat, ad quod illum eius libro præfixum  
de illo anagramma hortabatur: *Fran-  
cis de Montmorenci: Conflans fer Do-  
mini Crucem. Sacra poësi pium inge-  
nium occupabat, æquo semper ani-  
mimo, sorte suâ latus, & Psalms at-  
que Cantica è diuinis literis Incubra-  
tione poetica Deo canens, calamo  
typi quoque lucem commerito. Moi-  
tis apparatio illi fuere exercitia S. P.  
Ignatij: tum reliqua de more. Cæle-  
stis patriæ desiderio, & suauissimâ er-  
ga Deum fiduciâ plenus, gratias age-  
bat, quod in Societate moreretur.  
Negabat enim sibi foris morien-  
ti tanto unquam gaudio ac voluptati  
futurum fuisse supremum Agonem  
suum; quem confecit Duaci, ubi  
Theologorum Seminarium iam ante  
fundarat. Ultima illi verba fuere, Ie-  
sus, MARIA! sit Deus benedictus.*

*Mors.*

## P. I O A N N E S DE KRAECKERE.

*Belga Alder-*  
narde, f.  
Febr. 1647.  
*7. Oct.*

**I**ngenti animo Indias complexus, Inuper Louanij Theologiam propu-  
gnarat, & Aldenardæ humaniores  
disciplinas tradebat in scholis. Vbi  
nocte quadam inconsultum parentum  
suorum (à quibus iter Indiaeum scie-  
bat sibi apud Superiores interclusum)  
amorem expendens, doloris & desi-  
derij lachrymas vberes fundebat, que-  
ribundi mœroris undique plenus; cum  
ecce tibi P. Paulum Hentini septima  
Octobris anno proximè præterlapsò  
mortum sibi adspectabilis specie præ-  
sentem videt, auditque disertè affir-  
mantem, fore ut sibi in cælo breui  
sociaretur. Ita ille consolatoria mor-  
tuui amici vaticinatione mœrorem  
in mortis quæ haud multò post secuta  
est, apparationem conuerit, vixit  
que

*Vivomors*  
*prædicta ab*  
*morte.*

que tanquam breui migraturus in ratus, quia à beata montis expectatione suspensus.

## VI. DIE FEBRVARII.

P. C A R O L V S  
P H A R A O.

Italus Mel  
sanæ. 6 Febr.  
159  
Vocatio.

**H**unc adhuc puerum cùm parentes ad Societatem ire prohiberent, eoquē domi clausum attinerent, ille nocte intempestā, occasione imminens, eamque nactus, arrepto tantum linteo, semi-nudus ē paterna domo ad nudum Crucifixum fugit: & consentaneam primā flagrantiae vitam in Societate duxit, Philosophiā Theologiaque perdoctā, & insignibus quos obiit laboribus ac virtute praeclarus.

P. H E N R I C V S  
H E N R I Q U E Z.

Lusitanus  
Pnical. 6.  
Febr. anno  
1600. xi. 80.  
Soc. 55.  
Vocatio.  
Eleemos.

Lingua cufi.

Fides.

Quotid.  
Confessi.

**C**onimbricæ in Societatem cooperandus, sua dispersit, & dedit pauperibus, eleemosynā quatuor millium aureorum. Lingua sua magnopere potens erat; & cautus. Vnde nihil erat, quo quemquam lèderet, vel in quo argui posset. Piscariam per 53. annos excoluit, Apostolus Comorinensium appellatus. Ausus Brachmanas etiam ad experimentum ignis prouocare, ad ostendendam fidei veritatem. A barbaris breuissimā catenā collo ac pedibus iniecta vincitus, eoquē in globum miserè curvatus, ac doloribus tumorigibus plenus iacuit plures dies & noctes, nec nisi trimestri exacto redemptus est. Divino Sacrificio non prius operabatur, quam animum expiasset, si Sacerdotem nancisci posset.

Templa, & Nosocomia plura erexit: multa & magna passus; inter quæ tantis ē cœlo delicijs abundabat, vt dicebat neminem fore qui illarum conscientius, non labores illo p̄r omnia, quod multū delectat eligeret, optione oblata. Neque religiosum sibi videri dicebat, qui perpetuō quotidiana non quotidie aliquam id genus velut lineam duxisset. Per 20. dies, quos postremos habuit in vita, bis quotidie se Sacramento penitentia perpurgabat, vt mundo corde compareret pro tribunali extremo. Diuinam misericordiam sibi operabat, rogabatque pro mortis articulo impensis inculcari. Neque enim alio uti firmamento spem suam: in inferno autem pœnas se dare paratum, idque sibi beneficij loco fore, si tamen citrōdium Dei fiat; nam horrendam sibi p̄ supplicijs omnibus eam videri, quā in Deum blasphemiae istic vomuntur diritatem. Sepulchrum eius frequentes visunt; qui persanctè aiunt se à Deo per illum luculenta beneficia obtinere. Inde ibi anachemata & lampades; inde iurisurandi formulis insertum illius somen ad fidei firmamentum. Referunt, qui id ipsi oculis usurpauere, obrectatorem quandam, quoties obloqui P. Henrico conatus os aperiebat, toties illi carnis frustum instar pomi, vel pugni, os ad obrestationem apertum occupasse, illudque obstruxisse, ac illum obmutuisse.

P. FER-